

DE
RELIGIONE QVADRATA
DISSERIT

A T Q V E

A D

ORATIONEM
MEMORIAE
HEINRICIANAЕ
SACRAM

DIE XII AVGVSTI A. R. S. MDCCLXI

IN

AVDITORIO PHILOSOPHICO

HORA IX HABENDAM

INVITAT

CHRIST. GOTTLIEB IOECHER

ORDINIS PHILOSOPHICI

H. T. DECANVS.

Coll. diss. A
184, 33

H. A. 184 (33.)

~~###~~

~~###~~

RELIGIONE QUADRATA

DICERIT

A T O V E

A D

ORATIONEM

MEMORIAE

HEINRICHI

SACRAM

DIE XI ANNOVECLII A R E MDCCXLI

IN

AVDITORIO PHILOSOPHICO

HORAE HARBURGAE

INVITAT

CHRIST. GOTTLIEB JOECHER

ORDINIS PHILOSOPHICI

H. T. DECANVS





o magis hominum animos opprimi atque eorum imbecillitatem occupari a superstitione, quo magis bonarum literarum studium, philosophiae potissimum & historiae cultura decrescat, constans omnium temporum experientia docet. Cuius calamitatis si non aliud extaret documentum, res medio aevo, seculo cum primis post Christum natum vndecimo gestae, sat multa specimina suppeditarent; quo ipso seculo, quam vana religione non solum plebeii sed & in dignitate constituti homines fuerint capti, sexcentis veterum, vt **GLABRI RADVLPHI**, **PETRI DAMIANI**, **SIGEBERTI**, **OTTONIS FRISINGENSIS** in hanc rem collectis testimoniis probarunt Centuriarum magdeburgensium auctores, **MORNAEVS**, **SPANHEMIVS**^a. Exemplo sit religio quadrata, de qua commentantem in vita Gregorii VII. audiamus **PAVLVM BERNRIEDENSEM**^b. „Quanta Dei gratia subsecuta sit obediens gregoriana institutioni, ostendit religio quadrata, per apostolicam Gregorii nostri benedictionem venerabiliter in his regionibus (Germanicis scil.) inchoata & feliciter multiplicata, videlicet attonorum Christi seruorum, eisque fideliter seruientium fratrum barbatorum; virginum singulari deuotione iugiter inclusarum; itemque virginum regulari moderatione introitus & exitus suos custodientium. Sane quadraturae huius siue quadrigae, quatuor praecipui rectores fuere, videlicet

a) Vid. cum primis Spanhemii Opp. T. I. p. 1510.

1511. 1518. 1557.

b) In Gretseri Opp. T. VI. p. 161, 162.

„licet canonicae vitae renouator eximius, Altmannus epi-
 „scopus de Patauia, & beatæ recordationis Odalricus Prior
 „de Cluniaco, venerandi patres Wilhelmus de Hirsaugia
 „& Sigefridus de sancti saluatoris cella.“

Quae religionis huius quadratae fuerit ratio & cur sin-
 gulari viuendi modo id nominis impositum, e PAVLI ver-
 bis paulo obscurioribus vix colligas. THEODORVS
 RVINARD in vita Urbani II.^e nouam istis temporibus
 in Alemannia succreuisse viuendi formam existimat, quae
 apostolicos mores aemulata sit, hancque esse religionem
 quadratam a PAVLO BERNRIEDENSI laudatam: atque
 celeb. MOSHEMIVS eius vestigiis insistens, innumeros
 homines in Gallia & Germania semetipfos suaque omnia,
 templis, claustris & sacerdotibus sacramento deuouisse, ne-
 que secus ac mancipia, pensa quotidie iis persoluisse, at-
 que hoc vitae genus religionem quadratam vocatum, tra-
 dit^d. Verum neuter celeberrimorum duumvirorum,
 quae sit huius nominis potestas, aut quid sibi hac quadra-
 tura vel quadriga velit PAVLVVS, accurate declarauit. Ita-
 que quid mihi de eo videatur, paucis exponam. Religio,
 ex vsu mediae aetatis scriptorum, vitam monasticam, seu
 voto vt vulgo dicitur religionis obstrictam indicat; vnde
 consequitur, religionem quadratam esse quadruplicem spe-
 ciem vitae monasticae prorsus singularis, hoc aeuo aut re-
 center introductam, aut cum iam antea vsitata esset, valde
 amplificatam. Primam speciem constituunt attonsi Chri-
 sto serui, quo nomine hi veniunt, qui admissa tonsura,
 omnem monasticae vitae formam & habitum suscepe-
 rant: Alteram fratres barbati, quod nomen laicis impo-
 nebatur, qui contra votum quo monachi erant adstricti,
 barbam nutriebant, sed in monasteriis viuebant, & cucul-
 latis seruitia praestabant^e: Tertiam, virgines singulari
 deuotione iugiter inclusae, quae erant sanctimoniales, se
 in

e) vid. Ouvra-
 ges posthu-
 mes de D. Je-
 an Mabillon
 & de D. Thi-
 erri Ruinart.
 T. III. p. 102.

d) Moshemii
 institutiones
 historiae
 christianae
 antiquioris
 p. 649.

e) vid. du
 Fresne Glos-
 sarium me.

in singularibus monasteriorum cellis concludentes, ut Deo sibi que vacarent *f*: Quartam, virgines regulari moderatione introitus & exitus suos custodientes; quas ut fratres barbati, laicae conditionis & ad inseruiendum monachis sanctimonialibusque promptas paratasque fuisse existimem.

diae & infimae latinitatis, voce Barbatus.

f) Du Cange Glossar. mediae Graecitatis, voce *εγκλειστος*.

Huius quadrigae seu quadraturae praecipui rectores fuerunt ALTMANNVS episcopus passauensis, ODALRICVS prior cluniacensis, WILHELMVS de Hirsaugia & SIGEFRI DV S de s. Saluatoris cella, de quibus ut copiosius edisseram, angusti huius scriptionis cancelli non patiuntur. Sufficiat his, quorum interest eos accuratius nosse, significare, de ALTMANNO, HUNDIVM in *metropoli*, de ODALRICO auctorem vitae B. Herlucae, de WILHELMO, TRITHEMIVM in *chronico hirsaugiensi* quaedam memoriae tradidisse. Patet itaque, RVINARTVM religionem quadratam minus bene de noua eorum viuendi forma interpretatum esse, qui se suaque omnia monasteriis deuouerant, & in bonorum communione viuentes, apostolici seculi mores aemulabantur. Hoc enim institutum pars tantum est quadraturae istius, his propria, qui barbati fratres & virgines introitus & exitus suos custodientes dicebantur, qui quamuis monachi & sanctimoniales haud essent, cum his tamen arctissime coniuncti viuebant.

Interim in quadrata religione maxime eminent ista, ut tunc dicebatur vita communis, quae etsi huic seculo non est propria, summum tamen in eo vanitatis & superstitionis gradum occupauit. Nemo istius temporis scriptorum eam accuratius delineauit quam BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS, (A) atque iuuabit fortas-

(A) Ita ille in *appendice* ad HERMANNI CONTRACTI *chro-*

* 3

nicon An. M X C I. (α) „His temporibus in regno teutonicorum communis

sis

α) In Vrstifii Scriptor. rerum German.

„vita p. 365.

g) vid. de his
denominati-
onibus Haez-
tenum L. 3.
Disquisit. mo-
nast. Tract. I.
Disquis. 8. &
Menardum
ad concordia-
am regula-
rum p. 1028.
h) v. Baluzii
capitularia
regum fran-
cor. Tom. I.
p. 427, 432.

sis, quae huius vitae communis tum fuerit ratio, paulo studiosius exponere. Vita communis eorum dicebatur, qui in monasteriis simul degebant, eodem victu & domicilio utebantur, quibusque communia erant omnia; inquam vitae & victus communitatem, & laici admittebantur. Hi ipsi laici, cum *conuersi fratres* nuncupabantur, quod pietatis seu etiam quaerendi victus gratia, monasteriis totos se darent, operam suam locantes ad vitam; tum *donati*, quia se & bona sua monasteriis donabant & tradebant; vt & *oblati*, quod se totos & sua aut suorum partem monasteriis consecrarent & offerrent^g. Hic se suaque monachorum collegiis deuouendi mos, quando fuerit exortus, definiri non facile potest, esse vero antiquissimum vel ex eo colligitur, quod iam in CAROLI M. capitularibus eius facta est mentio^h. Seculo tamen vndecimo in Germania primum vigere coepisse, PAVLVS BERNRIED. l. c. contendit, quod suo suffragio BERTHOLDVS confirmat (B). Neque vero hae donationes consecrationesque quibus se suaque monachis tradebant superstitiosi, vna eademque ratione, sed diuersis suscipiebantur conditionibus. Alii cum bonis suis vniuersis, vel eorum parte aliqua ita se offerebant, vt monasticam vitam amplecterentur, & ad professionem admitterentur,

„vita multis in locis floruit, non solum
„in clericis & monachis religiosissime
„commorantibus, verum etiam in lai-
„cis, se suaque ad eandem communem
„vitam deuotissime offerentibus: qui
„etsi habitu nec clerici nec laici vide-
„rentur, nequaquam tamen eis dispares
„meritis fuisse creduntur: se enim ser-
„uos eorundem pro domo fecerunt;
„imitantes eum, qui non venit mini-
„strari sed ministrare, qui & suos se-
„ctatores ad maioritatem per seruitii
„exhibitionem docuit peruenire: nem-

pe ipsi abrenunciantes seculo, se &
„sua ad congregationes tam clericorum
„quam monachorum regulariter vi-
„uentium, deuotissime contulerunt, vt
„sub eorum obedientia communiter
„viuere, & eis seruire mererentur.

(B) BERTHOLDVS l. c. „His
„temporibus in regno Teutonicorum
„communis vita multis in locis floruit. . .
Et post alia: „Huiusmodi studium in
„Alemannia potissimum, vsque quaque
„decenter effloruit.“

tur, reueraque essent monachi. Alii ea id lege agebant, vt in ordinem monachorum susciperentur si luberet, interim vero Donatorum & Oblatorum loco haberentur. Nonnulli se monasteriis ita mancipabant, vt ipsi & eorum progenies serui ecclesiae essent, dimissa ingenuitate & libertate. Alii se claustro sub annuo censu hoc modo tradebant, vt libertatem & ingenuitatem non dimitterent, sed eam disertis & expressis verbis retinerent; de quibus diuersis donationum generibus ex instituto & docte commentatur DV FRESNEⁱ. Quanto se impetu omnis sexus, conditionis, dignitatisque homines seculo vndecimo huic seruituti dicauerint, fidem propemodum excedit (C), neque vnus tantum alterue hac superstitione fascinatus deprehenditur, sed integrae societates villaeque hoc in se iugum lubentissime susceperunt (D).

Qui

(C) Nitimur testimonio BERTHOLDI, qui ita commentatur (β): „Non solum autem virorum & foeminarum innumerabilis multitudo his temporibus se ad huiusmodi vitam contulerat - - - in ipsis quoque villis filiae rusticorum innumerae, coniugio & seculo abrenunciare & sub alicuius sacerdotis obedientia viuere studuerunt; sed etiam ipsae coniugatae, nihil ominus religiose viuere, & religionis cum summa deuotione non cessauerunt obedire. - - - In Alemannia etiam multae villae ex integro se religioni contradiderunt, seque inuicem sanctitate morum praeuenire, incessabiliter studuerunt.

(D) E re lectorum erit, vnam hic alteramue legere formulam, qua monachorum se dominationi subiecere, opibus etiam & potestate florentes homines. GISLA gandauensis, se ipsam cum vniuersa sobole in ancillam

Ecclesiae S. Gertrudis niuellensis A. MIII hac tabula conscripta obtulit (γ): „Ego Gisa, cum secundum mundanae dignitatis gloriam, liberis orta parentibus in Gandauo, satis forem ingenua, in sanctorum patrum exhortationibus animaduertens, humilitatem inter ceteras florere virtutes, concupiui animo, in sanctorum seruitio, carne & spiritu humiliari, quorum patrocinio & interuentu Dei misericordiam assequerer. Hac ergo praemunita intentione, me, cum mea tota sobole, tradidi per liberam manum beatae Gertrudi in ancillam, vt suo acceptos nos dignaretur famulatu, in remissionem peccatorum. Tradidi autem me, sub hac lege indissolubili, vt tam ipsa quam tota progenies mea & posteritas, XVI. Kal. Aprilis, singulis annis, pro capitali censu, ad capitale Virginis altare, vnum denarium persolueremus, pro mortua manu tantum-

i) Du Fresne Glossar. med. & infim. latin. voce, oblati monasteriorum.

β) Bertholdus l. c. p. 366. γ) vid. Miraci Opp. diplomat. Tom. I. p. 348.

Qui hanc vltro sibi iniungebant seruitutem, nouo vitae generi singulari quasi ritu initiabantur, cuius hic erat modus, vt tabulam altari imponerent, qua se monasterio mancipabant, quatuor denarios in signum suscepti voluntarii seruitii offerrent, dicti inde serui de quatuor nummis, aut collum campanae fune innecterent (E).
Facti

d) Mirai Opp.
dipl. T. II.
p. 1131.

e) vid. Baro-
nii annales
T. XI. ad A.
MLXXXI.
n. 33.

ζ) Du Fresne
in Glossar. la-
tinitatis p.
1287.

„tumdem. Nullum aduocatum, prae-
„ter Louaniensem Comitem, nullum
„censuarium, praeter custodem altaris
„habentes; liberi deinceps a cetera
„exactione. Et ne quis praesumeret
„hanc legem nobis violare, promulga-
„ta est ab ecclesia nivellensi sententia
„anathematis in eum, vt pereat cum
„Dathan & Abyron.“ RICHEZA
poloniae regina circa A. MXXX. Eccle-
siae S. Ursulae Coloniae in ancillam se-
met hoc modo tradidit (d): „Quam
„plurimi Dei fidelium ecclesiis dedica-
„ri se de suis rebus a Deo collatis sibi,
„& praeslitis effecerunt; hoc autem
„vel ob amorem futurorum bonorum,
„seu metum infernalium tormentorum,
„quibus condigne remunerandi sunt,
„prout gesserunt siue bonum siue ma-
„lum, cum venerit qui venturus est, actus
„cuiuscumque nostrum. Quod ego
„Richeza saepe animo voluens, & mu-
„tua confabulatione cum amicis meis
„differens, insuper animata a Domino
„Archiepiscopo Piligrimo, cum essem
„ingenua, deliberaui esse ancilla, &
„sub tributo. Quia vero post pusil-
„lum facillime quocumque casu obli-
„uiscimur, quod hodie factum fuerat,
„manuscripto petii fieri memoriale,
„quatenus sic sit manifestum, tam futu-
„ris quam praesentibus Christi fideli-
„bus, quomodo vel quo facta sim sub
„tributo. Ego enim Richeza, alicuius
„cupida cum essem patrocinii, ab insur-

„gentibus in me, Archiepiscopum Pili-
„grimum aduocatum feci in omnibus,
„nullo excepto exclusoue, donans me
„in vrbe Colonia ad sanctas virgines,
„ea professione videlicet, quatenus sin-
„gulis annis persoluerem duas denari-
„atas cerae, & vt mei posteri sint eius-
„dem conditionis.“ Pertinet huc et-
iam BERTRANNVS Prouinciae
comes, qui se suamque dignitatem &
ecclesias Gregorii VII. pontificis arbi-
trio conceptis verbis submisit (e): „Ego
„Bertrannus Dei gratia Comes Prouin-
„ciae, pro remissione peccatorum meo-
„rum & parentum meorum, offero,
„concedo, dono omnem honorem me-
„um, quantum ad me iure parentum
„pertinet, omnipotenti Deo, & sanctis
„Apostolis Petro & Paulo, & Domino
„meo Gregorio Papae septimo, & omni-
„bus successoribus suis: ita vt quidquid
„placuerit deinceps domino Papae Gre-
„gorio de me, & de toto honore meo,
„sine vlllo contradicito faciat. Ecclesias
„autem omnes, quae in mea potestate
„sunt, praefato domino meo Gregorio
„Papae omnino dimitto, & omnibus
„successoribus suis, & ad ordinandas
„eas iuste & secundum Deum, pro posse
„meo fideliter adiuuabo.“

(E) Insigne horum rituum speciem
e tabulario vindocinensi affert DV
FRESNIUS, formulam donationis
Ingelbaldi cuiusdam A. M L X X X. ita
verbis conceptam (ζ): „Ego Ingel-
bal-

Facti tum monachorum serui, ab aliis extra hanc cum sacerdotibus coniunctionem viuentibus discernebantur, atque ad officia & seruitia quaedam his praestanda obstringebantur. Viuebant scilicet vna cum monachorum grege in claustris, peculiari sed a cucullatorum amictu, forma & colore diuerso induebantur vestitu, censum trium aut quatuor denariorum quotannis pensitabant, abbatis, qui eis de victu & veste prospiciebat, obedienter imperata faciebant, quin toti erant monachorum, & vt BERTHOLDVS ait ^k, „sub obedientia clericorum & monachorum communiter viuebant, eisque more ancillarum, quotidiani seruitii pensum deuotissime persoluebant.“ Neque haec noua viuendi forma, eis qui sacra dirigebant, displicebat, sed maxime probabatur. Itaque VRBANS II. Pontifex max. qui cum olim apostolica legatione apud Germanos fungeretur, eius rationem perspexerat, hanc solenni tabula A. M X C I. edita confirmauit, (F) censebanturque qui religionem hanc amplexi

^k) Bertholdus l. c. 366.

„baldus, cum quidem naturalem secundum seculum a progenitoribus haberem libertatem, voluntate propria me in seruum trado Domino Deo & loco S. Trinitatis, quod molestia corporis urgente districtus promiseram, hoc factus sospes & incolumis libenter exsoluo. Dono etiam mecum ac eidem venerabili loco, vniuersa quae possessionis meae vel sunt hodie, vel etiam in tota vita mea iuste poterunt, quae dare legaliter & possum & debeo. In cuius facti memoriam etiam quatuor denarios de capitagio meo, sicut mos

„saecularis est talibus facere, super altare dominicum praedicti loci gratanter imponens, funem quoque signi collo meo deuote circumplicans, chartulam istam scribi in testimonium postulauit, manuque mea firmaui, addita etiam insuper congerie testimonium iuxta humanae opinionis aestimationem idoneorum, quorum ista sunt nomina &c.“

F) VRBANI II. tabulam exhibet BERTOLDVS his consignatam verbis ⁿ) „Quosdam accepimus morem vestrorum coenobiorum
** rum

ⁿ) Bertholdus l. c. ad a. 1091.

plexi erant, e familia monachorum esse; quare sine ab-
batis consensu testamentum conscribere illis non lice-
bat, neque ab electo semel viuendi genere temere re-
filire. Hinc idem **VRBANVS**, cum aliquis quem
consilii huius poenitebat, relicto monasterio ad ciui-
lem vitam rediisset, scriptis ad **GEBERHARDVM**
Constantiae episcopum, legatum suum literis, praece-
pit, vt eundem, quae sunt **BERTHOLDI** verba^l,
„apostatam canonicè vocaret, & mucrone anathema-
„tis a membris Christi penitus amputaret, nisi citius
„de eadem apostasia & sacrilegio resipisceret.“ Ma-
gna fuit subinde conuersorum eiusmodi seu laicorum
fratrum in monasteriis auctoritas, qui eo nonnunquam
proruerunt audaciae, vt clericis ordinem & tempus
diuinorum officiorum praescriberent, ipsosque suo
imperio parere recusantes, vexarent rerum necessaria-
rum subtractione; quam eorum petulantiam **LVCIVS**
III. Pont. Max. seculo XII. coercuit^m.

l) Bertholdus
l. c. ad a.
MXCI I.

m) Nat, Alex.
Hist. Eccl. T.
VI. p. 586.

Sed quae tandem instituti adeo insolentis ratio
fuit & causa? Pietati & studio Deo placendi seruien-
dique id plerique eius temporis scriptores, & cum his
BERTHOLDVS in acceptis referunt. Fortassis po-
liticae causae quosdam permouerunt, vt e ciuili socie-
tate exirent, quo se suaque sub monachorum praesi-
dio, quos violare piaculum erat, melius tueri & con-
tra aliorum insultus munire possent, quod consilium

„rum corrodes, quo laicos seculo
„renunciantes, & se suaque ad com-
„munem vitam transferentes, regen-
„dos obedientia suscipitis. Nos au-
„tem eandem conuersationem & con-
„suetudinem, sicut oculis nostris in-
„speximus, laudabilem, & eo pro per-

no-
„petua conuersatione dignissimam, quo
„in primitiuae ecclesiae formam im-
„pressa est, iudicantes, approbamus,
„sanctam & catholicam nominamus,
„& per praesentes literas apostolica au-
„toritate confirmamus.

l) Bertholdus
l. c. ad a. 1091.

nobilioris fortis homines, sed minus potentes & valentes, turbulentis tunc & continuo intestinorum bellorum strepitu funestis temporibus, sibi saluberrimum esse expertos crediderim. Sed iam ante hoc seculum, ut publica onera molestasque prouincias effugerent, in has se monachorum latebras abdidiſſe quosdam, e CAROLI M. Capitulari patetⁿ⁾, quo mentio fit libero-
 „rum hominum, qui ad seruitium Dei se tradant, non
 „tam causa deuotionis, quam exercitus seu aliarum fun-
 „ctionum regalium vitandarum causa.“ Quam pluri-
 mas tamen superstitionis in hoc nouo viuendi genere
 fuisse partes, vero longe videtur simillimum. Nam
 ut taceam, summam eo seculo monasticae vitae fuisse
 tum admirationem tum ambitionem, inualuisseque opi-
 nionem, vitam hanc esse angelicam, monachos esse
 sine peccato, saltem esse posse; orta erat sub seculi
 vndecimi principium suspicio, animosque hominum
 late peruaſerat, imminere annum mundi postremum,
 reuelandumque esse antichristum^o. Ut itaque cala-
 mitatibus & malis quae ingruebant, non opprimeren-
 tur, sed iudicem mundi supremum magis haberent
 propitium & ad condonandum pronum, eis se trade-
 bant totos prorsusque committebant, quorum virtu-
 tem, merita, preces apud summum Numen pluri-
 mum valere putarent, in eorumque communitate so-
 dalitateque se fore saluos, misera vanitate decepti sibi
 persuadebant.

ⁿ⁾ vid. Baluzii
 Capitularia
 regum Fran-
 cor. Tom. I.
 P. 725. 874.

^{o)} vid. Baronii
 Annal. T. XI.
 ad A. M I. II.
 1-9.

Sed mitto iam barbatos hos, communes, donatos
 oblatosque fratres, indicoque clarissimum & doctissi-
 mum virum, Dominum THEODORVM LEBE-
 RECHT PITSCHEL, Philos. & lib. artium
 * * 2 Ma-

Magistrum, grauem ornatamque orationem, memoriae Viri quondam praenobilissimi ac iuris vtriusque scientissimi, Domini DANIELIS AEGIDII HEINRICI, Icti celeberrimi & haereditarii in Muglencz facram, futuro XII Augusti die, in auditorio philosophorum recitaturum. Exorandi itaque sunt *Magnificus Academ. Rector, Celsissimi comites, proceres vtriusque reipublicae grauissimi, ciues nostri generosissimi & nobilissimi*, vt solennitati huic frequentes interesse, & oratori diserto linguis animisque fauere velint. In beneficii loco hoc ponet ordo noster, operam daturus, vt se mutuis officiis praestet gratum. P. P. Lipsiae A. R.
S. clō lō c c x l i. Domin. x. post Fest.
Trinitat.

LIPSIÆ

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

